

De singularibus fatis codicis msc. oo Ioannis Vitodurani, quem bibliotheca publica turicensi legitimo iure possidet : epistola I. Iacobi Breitingeri ad [...] Ioannem Hanhard, [...]

Autor(en): **Breitinger, J. Jacob**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad iuvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1748)**

Heft 12

PDF erstellt am: **21.09.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394637>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

De singularibus Fatis
 CODICIS MSC. ἈΥΤΟΓΡΑΦΟΥ
 JOANNIS VITODURANI,
 Quem Bibliotheca publica Turicensis
 legitimo Jure possidet:

EPISTOLA

J. JACOBI BREITINGERI

ad

Præclarissimum atque Nobilissimum Virum

JOANNEM HANHARD,

Senatus amplior. Adjunct. & Biblioth. Vitodur.
 Curatorem.

ITa æquum esse oportet quemvis, qui quidem aliquo Humanitatis sensu tangitur, ut æquo animo non ferat, quemque alterum quicquam eorum, quæ jure quodam sibi vindicare posset, frustra desiderare, aut de injuria sibi illata nequicquam conqueri. Quapropter ex quo tempore variis hominum sermonibus cognitum habui, persuasum esse vestrum plerisque, atque etiam nostrum non paucis, Librum illum ἀβλόγραθον Chronici JOANNIS VITODURANI, quem Turicensis Bibliotheca inter alia ejus generis χειρόγραφα in scriniis suis reconditum aservat, ad instructissimam Civitatis vestræ Bibliothecam, cujus TIBI, Vir
 Nobi-

Nobilissime, hoc tempore præcipua cura commissa est, quondam eodem jure pertinuisse, quo constat ejus Auctorem in numerum civium vestrorum esse adscribendum; profecto id non leviter animum meum excruciauit, quod intelligebam, hanc persuasionem, quæ se aliqua probabilitatis specie commendaret, si magis adhuc invalesceret, non posse non Turicensium meorum fidem & æquitatem in eam suspicionem adducere, quasi nulli sibi religioni ducerent, vestris spoliis opes suas locupletare, atque Civem vestrum intra Bibliothecæ suæ carceres quasi captivum detinere. Quam sæpe optavi, ut possem probabili aliqua ratione hanc suspicionis labem ab eruditis Civibus meis abstergere, atque hanc injuriæ persuasionem falsitatis convincere, aut si hoc non liceret, atque ista persuasio sufficienter esset confirmata, quantum in me esset curare, ut vestræ Civitati, cui magnopere faveo, de hac injuria satisfaceret. In hac autem fluctuatione, hoc unum animi ægritudinem aliquantum levare potuit, quod sentiebam, non posse in Turicenses meos eam cadere suspicionem, quasi eam ob rationem hunc MSC. Librum Bibliothaphorum more sibi servarent, quoniam Majorum vestrorum Virtuti, quæ hoc Commentario mirifice illustrata est, inviderent, aut suorum famæ parcerent; quam illiberalis animi exprobrationem meos Cives in hac causa procul a se amovisse, magnopere lætor; cum quod per se turpe & ne tunc quidem excusandum esse puto, rerum gestarum memoriam & fidem, eo tantum consilio, ut famæ tuæ servias, aliorumque deprimas, æternæ oblivioni tradere, etiam ubi id pro tuo jure agere possis; tum vero etiam quod mei illi
 hac

hac ratione videri poterant gemina vos injuria affe-
 cisse. Quod autem diu intra vota mea substitit,
 id me posse nunc ita præstare confido, ut ipsi
 hanc Suspicionem, quæ vobis injuriam factam
 esse fere persuasisset, temere confictam & Turicen-
 sibus meis perinde injuriosam, ac molestam esse,
 non possitis non agnoscere. Neque vero dubito,
 quin Tu, Vir Præclarissime, pulcre memineris,
 me superiore jam æstate, cum in amœnissimo
 Sulzeriano Secessu apud WASERUM meum me
 rusticantem amice inviseres, hæc talia ambitiosius
 jactasse, atque etiam ostendisse, me non longe ab-
 esse ab illo consilio, ut hanc Suspicionem stilo ali-
 quando confodiam, ne latius serpat aut propage-
 tur, & Turicensium meorum nomen apud Vos in-
 visum reddat, eorumque famæ labem aliquam af-
 fricet: quod ne in posterum fiat, Te nunc melio-
 ra edoctum sedulo curare convenit; atque Te id
 etiam esse facturum, tam mihi certum est, quam
 certum est, Te inter tuos æquitatis & sapientiæ
 laude merito eminere. Quod si vero hæc summa
 est justitiæ ratio, ut suum cuique tribuatur, eam
 me in hac causa esse secutum, immo & assecu-
 tum, nemo poterit ire inficias: Vobis enim, An-
 naliū Auctorem, VITODURANUM JOAN-
 NEM, tanquam Civem vestrum adscribendum
 esse, atque adeo omnem illam gloriam, quam suis
 iste Commentariis est commeritus, ut in vestras ratio-
 nes referatis, lubentes concedimus: Turicensibus
 vero meis, quod jure ipsis debetur, eam scilicet
 felicitatem, quod inter opes suas litterarias ipsum
 Annaliū Codicem manu Civis vestri exaratum in-
 de fere ab ipsis Reformationis temporibus recte ad-
 numeraverint, assero, atque jus illud falsis Suspi-
 cioni

cionibus nonnihil labefactatum vindico, atque ita, ut spero, efficio, ut in posterum citra omnem invidiam Turicenses mei hunc Codicem, cui quidem hoc tempore non aliud pretium superest, quam quod ab antiquitate habet, possideant atque etiam, si velint, ambitiosius ostentent: Quod enim ad fructum adinet ex isthoc Codice colligendum, Clariss. BODMERUS meus in *Thesauro Scriptorum Historiæ Helveticæ*, critica diligentia prospexit, ut ad fidem Autographi exscriptis & multiplicatis exemplaribus usus fructusque omnibus promiscue pateret, utque illi qui non κήσῃ, sed χήσῃ Libros æstimare solent, non habeant, quod amplius desiderent, aut quod aliis inuideant. Age vero jam, Vir Præclarissime, & expende diligenter, quibus argumentis ac testimoniis suspicionem illam, qua plurimi hactenus Civium meorum in Vitodurani Ἀυτογράφου jus imminuere ausi sunt, confellam, eique omnem plane fidem abrogem. Repeto autem omnia causæ meæ præsidia ex *Clarorum Virorum ad Melch. GOLDASTUM Epistolis*:

Goldastum enim primum inquisivisse de Ἀυτογράφου VITODURANI Codice circa annum MDCVIII. ex Marci WIDLERI, Pastoris Kilchbergensis ad Goldastum litteris d. XVII. April. datis cognoscimus: Ubi hæc leguntur: *Vitoduranus ubi deliteat, me latet. Fragmentum quod ad manus est, cum aliis fragmentis historicis ad proximas nundinas, vitam concedente Deo, mittam. Si editione digna visa fuerint, cum aliis commodo tempore conjungere poteris, ne diutius deliteant.* Epist. CCCXIX. Eundemque suis stetisse promissis, manifestum est ex Epist. CCCXXI. quæ ad d. XXVI. Aug. data est: *Mitto tibi fragmenta historica,*

storica, quæ ultimis meis litteris tibi promisi: Vitodurani quadam. Spero, si Fragmenta edantur, eos, qui integrum opus malitiose supprimunt, illud tandem publici juris facturos. Nescio autem, quo indicio Goldastus in eam suspicionem fuerit adductus, quasi Codex ille MSC. apud Colerum, Elgovii Pastorem, delitescat, quam autem Widlerus suspicionem, ut minus probabilem, tantum non rejicit Epist. CCCXXII. Kal. Septembr. h. a. scripta: *Quod de COLERO, Elgovienſi Parocho ſcribis, exiſtimo quidem ipſum more ſuo gloriari, vix enim ſine Theſeo antiquam litteraturam legere, nedum intelligere poteſt. D. Hoſpinianus affinis ejus, ſi quid habet, e manibus ejus extorquere poterit. Non credis quam mala fide cum miſero Vitodurano haſtenus actum ſit, & quantis fraudibus e manibus meis ereptus fuerit. Sequentem demum anno MDCIX. Widleri industria detectus eſt: Ita enim habet Epist. CCCXXIII. ad Goldaſtum, quæ XXIIII: Mart. ſcripta eſt: De Vitodurano inquiſivi diligenter; Colerus ait, ſe folium unum & alterum tantum exſcripiſſe. D. J. Huldricum Wolphium, ex-præſectum Kyburgenſem, nunc hujus Urbis Prætoſem, illum habere. Hic ait, D. H. Bullingerum, ad quem jure pertinebat, redemiſſe. Ab hoc prece & pretio, qui eum legere non poteſt, extorquendus eſt: Id negotii dabis D. Waſero, affini ipſius. Poſtquam igitur a Goldaſto hoc negotium ad V. Cl. Caſp. WASE-RUM fuiſſet delatum; hic quomodo hanc cauſam apud Bullingerum egerit, pluribus exponit Epistola d. XVIII. Jun. data, quæ eſt CCLXXV. Ad Vitoduranum quod adtinet, ſcias eum in manibus eſſe Bullingeri nepotis, affinis mei: apud quem proinde ſumma fide & accurato ſtudio rem tuam egi. Refert ille, ſe eum florenis quinquaginta redemiſſe a D. WOLPHIO,*

expraesecto Kyburgensi: Si ea pecunia sibi refundatur, se daturum; ea tamen lege atque omine, ut titulo, si edendus sit, manifesto ponatur, ex Bullingeriana prodire Bibliotheca. Vel hoc medium proponit, se eum tibi donaturum addito epistolio: spe fretum, fore ut gratum tu te praebeas in omnem eventum. Haec ejus sententia est, nisi a paucis diebus eam mutaverit, aut mutaturus sit deinceps. Quicquid sit, sive mutet, sive non mutet, scribe tu omne, aut mihi, te mentem ejus intellexisse, & pretium offer, quod æquum tibi videbitur, & repete, quod jam significasti, nempe bonam ejus partem te jam possidere, eamque suo tempore editurum. Hoc si denuo intelligat, spero, æquiores multo habebis. Cætera committo tuæ prudentiæ, & meam porro tibi operam offero perlibens. Quid porro in hac causa actum sit, & quæ hæctenus hujus Codicis fata fuerint, ex sequentibus patefcet: Cl. WASSERUS ad Goldastum d. II. Sept. MDCIX. (Epist. CCXC.) hæc scribit: Vitodurani causa ita comparata est. Quum pretium, quod ab affine meo Bullingero postulatur, æquo videatur majus; egi cum eo, ut de L. viginti florenos remissurus sit, & accepturus XXX. si omnino Opus velis. Quanquam credam, accepturum XXV minus: at pauciores florenos vix acceperit. Nam verum & verissimum dico, quinquaginta florenis eum ab ipso redemptum esse, tanquam singulare peculium Avi sui: e cujus Bibliotheca exemplar, nescio qua calliditate, huic pupillo, tutoribus officium non probe facientibus, surreptum erat. Quum igitur Avus ejus Auctoris frequenter meminerit in Scriptis suis, manu & typis descriptis: ille vel grandiori pretio vindicare illum non noluit: nec adhuc venditurus esset, nisi bonam ejus partem jam possidere te scriberes, & metueret, si collectio tua prodiret, non minus magnum post se desi.

desiderium reliquorum relicturnum. Quocirca si conditio florenorum dictorum non displiceat; & e Bibliotheca Bullingeriana, cum studio tuo prodiret, profiteri statim in fronte libri non graveris, & inprimis, quod maxime tantum velimus, si quid in præjudicium Reip. Tigurinae ab eo scriptum reperias, ut reperies in historia Vitodurensi pag. 24. 25. 29. & 58. Id pro tua dexteritate ac benevolentia in Remp. nostram modereris: ut & plurima superstitiosa in nimiam commendationem Fratrum Minorum prudenter temperes aut tollas: Sicut & quæ de Friderico Imperatore scribit, pag. 4. & 6. Tum habebis exemplum quando voles & per quem voles: modo per te nobis innotescat. Aliis conditionibus impetrare eum tibi non possim. Quod credas velim. Tu quid de eis videatur rescribe: & si adhuc nimium videatur pretium, operam dabo, ut minuatur; aut conabor saltem id efficere, si omnino fieri possit, qui ad gratificandum tibi vel hac in re vel in aliis sum paratissimus & promptissimus. Huc pertinet etiam M. WIDLERI Epistola ad Goldastum eodem tempore exarata, quæ est CCCXXIII. D. Bullingerus, apud quem latitat Vitoduranus initio se morosum & difficilem præbuit. Conquestus illum mala fide ante plures annos ex Bibliotheca Avi b. m. a quodam surreptum, & Nobili Viro D. Henzelio magno pretio venditum, & post varios Dominos, eodem pretio ab ipso redemptum. Nolle illum pati, quoniam jure ad ipsum spectet, ut integer aut fragmenta ab aliis edantur. D. Hospinianus, qui præsens erat & ego variis rationibus placare hominem conati sumus. Ait D. Wasero rem omnem commisisse. Interim novam orditur querelam. Auctorem illum parum honorifice de pugna Tigurinorum ad Vitodurum Anno MCCXCH in bellis Austriacis scribere: Eum multa habere fabulosa: Plurima in laudem Minoritarum fingere. Fridericum II. Imp.

hostem Ecclesiæ schismaticum vocare. Hæc aliaque expungenda aut emendanda esse. Hæc est illius Viri censura, hoc acre iudicium! Respondi: Et Stumpfium illam pugnam ex Vitodurano transcripsisse; Wurstium, Freherum & alios Viros doctos, qui antiquos Scriptores rerum Germanicarum in lucem ediderunt, nihil tale tentasse; sed bona fide in lucem eos edidisse, ne illos Scriptores suspectos redderent: Ipsum, prout ea tempora ferebant, scripsisse. Nec mirum, Monachum de pio Imperatore male sensisse: nullos enim graviores hostes habuit, quam illud hominum genus. Prodierunt nostro Seculo plurimi hujusmodi Scriptores, in quibus eruditi Viri nil mutarint; iudicium penes lectorem esto. De equo excoriato ridicula videtur fabula: Simile quid An. MDXX. in Rhætia accidit. Addidi, posse te pro tua eruditione eum notis illustrare & recensere, quod in aliis Auctoꝝibus præstiteris; modo illius verba sarta tecta maneant, ne adimatur fides auctoꝝi. Nisi has tergiversandi causas studiose quæsit Bullingerus, recte ejus ægritiam notavit ac refutavit Widlerus, eumque aliquantum æquiores reddidit: etenim Waserus d. XVII. Novembr. Goldasto non admodum dubiam spem esse significat, ejus, quem tantopere desideret, Codicis potiundi: Epist. CCCIII. Ul. timis tuis, quas Francofordia 19. Sept. ad me dedisti, Vir nobilissime & amicissime, rescripsissem dudum: nisi integrum jam mensem & amplius expectassem finalem Sententiam D. Bullingeri de Vitodurano nostro: quam etsi neque dum significavit satis luculenter, tamen hoc tempore scribere volui. Hoc interim scio, si modum ad vos mittendi exemplaris ostendas proxime, illud sine mora ad te missum iri pro XX. florenis Rhenensibus, quos offers: nisi præter opinionem & spem mihi factam
 vehe-

vehementer tergiversetur. Si florenis illis paucula, bina, tria; pluscula superaddas exempla impressa, tanto magis salva erit res, quod hac oblata occasione indicare tibi volui, expectans, quid deinceps futurum sit. Si quid grati hac & aliis in rebus tibi prestare possem, id ipsum prestare, maximæ mihi felicitati ducerem. At cunctatorem fuisse Bullingerum ea quæ sequuntur satis superque produnt: *Casp. WASERUS* d. XVIII. Mart. MDCX. ad Goldastum Francofurti agentem hujusmodi refert *Epist. CCLIX: Literæ tuæ, Vir Nobilissime & amicissime, scriptæ ad VII. Eid. Febr. demum nudius tertius mihi sunt redditæ, quum mercatorum nostrorum merces omnes hinc jam solvissent. Unde Bullingerus noster novam tergiversandi sumsit occasionem. Pedites enim librum satis grandem secum portare gravabantur. Conditiones deinde, quas te ratas velle scribis, magis abs te expressas voluisset. Quæ causa cur prolixas admodum ad te dare pollicitus sit, ut explicatius mentem tuam intelligat. Tum omnino exemplar se missurum, denuo & iterum pollicetur. Et WIDLERUS litteris XIX. Mart. h. a. ad Goldastum exaratis, quum parum per Waserum promoveri intelligeret, alia via rem aggrediundam suadet; *Epist. CCCXXXIV. De Vitodurano cum D. Consule Rhonio locutus sum, cui valde displicet D. Bullingeri illiberalis inscitia. Historiarum ipsum imperitissimum esse ait, qui velit emendare seu expungere, quæ minus in Patriæ nostræ laudem ab hoste, ut erat eo tempore, in Austriacorum fere gratiam scripserit. Hæc non tollenda, sed ex aliis Historiis emendanda esse. Velim eo nomine scribas ad D. Huldr. WOLPHIUM, Proconsulem, Virum literatum, Historiarum amantiissimum, D. Waseri & mei affinem honorandum, ut is ab eo impetret, quo justo tibi pretio vendat, ac animadver-**

sioni tuæ submittat Vitoduranum. Tandem vero de hoc Codice obtinendo omnem spem abjiciendam esse haud obscure Goldastum monuit C. WASERUS III. Novembr. MDCX: *De Vitodurano iterum spem fecit ille: sed tum credam me habiturum, quum ex Thoma Augustinus fiam. Dolet hac in re tibi gratificari me non potuisse: qui ad id præstandum promptior sum prompto, quod novit ille πυνθοδαῖς.* Itaque MSC. ille Vitodurani Codex in manus aut potestatem Goldasti nunquam pervenit, & fragmentum illud, quod illustris LEIBNITIUS inter Bibliothecæ Goldastianæ λειψανæ Bremæ detecta repertum publici juris fecit in *Accessionibus Historicis*, non est diversum ab eo, quod ab Marco WIDLERO Goldastum accepisse supra memoratum legimus. Atque etiam certum & exploratum est, hunc Codicem ἀβλόγραφον; qui toties antehac Dominum mutaverat, inde ab An. MDCXXIX in civica Turicensium Bibliotheca fuisse, ab Ulrico OERIO, Cœnobii, quod Monachorum quondam Augustinorum fuit, Curatore in publicos usus concessum; cui rei publicæ donationis tabulæ abunde fidem faciunt. Ejus deinceps mentionem injicit Vir Celeb. & de Historia patria præclare meritus J. Henr. HOTTINGERUS in *Biblioth. Tig. p. 175.* VITODURANUS JOANNES, *Ita καὶ ἐξοχὸν vocatur Franciscanus quidam Monachus, patria Vitoduranus, qui Historiam scripsit ab an. Chr. 1215. ad 1348. Autographum extat in Bibliotheca nostra civica: Apographo pridem meam instruxi Bibliothecam, quod multa haberet Auctor, quæ ubique obvia non sunt, & quæ non patriæ tantum sive Helveticæ, sed & Ecclesiasticæ Historiæ magnam afferunt lucem.* Ex his ergo documentis de Codicis hujus ἀβλόγραφοῦ fati cognoscimus, illum pridem spectasse
ad

ad Bibliothecam HENRICI BULLINGERI, qui an. 1575. ex hac vita migravit: Post cujus excessum isthoc exemplar, Tutorum incuria, e scriniis Bullingerianis a quodam surreptum & D. *Hainzelio* magno pretio divenditum est; quod non ante annum 1585, quo Nobiliss. ille Vir primum Tigurum appulit, factum esse admodum probabile est. Pervenit deinde iste Codex in manus D. *Huldrici Wolfii*, Præfecti Kiburgensis, a quo *Bullingerus* nepos L. florenis circa an. 1607. redemerat. Tandem an. 1629. ab *Ulrico Oerio*, qui hæreditatis jure hunc Codicem possidebat, novæ Turicensium Bibliothecæ illatus est, quæ eundem justo donationis titulo ex eo tempore possidet: Ut adeo ne locus quidem sit illi Suspicioni, quasi unquam *Vitodurani* vestri Annales ad Civium Vestrorum Bibliothecam, quæ hæc tempora non attingit, pertinerint. Hæc ad fidem meo aserto faciendam atque Cives meos ab iniqua suspicione liberandos sufficere possunt. Vale Vir Præclarissime, atque Nobilissime, & rem tuam feliciter age. Turici ad d. V. Kal. Febr. MDCCXXXIX.

